

falis hæredis incumbit etiam universalis æris alieni solutio: per verba: doch also das überlebend Ehegemächts Schulden zu bezahlen schuldig: Et in hoc concordat cum Jure Civili communi, vi cujus Hæres habetur cum defuncto pro eadem persona. *Nov. 48. in præfat. l. 45. ff. de acquir. vel omittend. hered. l. 193. ff. de R. J.* Et succedit in omnia jura in hæreditate reperta quæ Defunctus habuit. *l. 37. ff. de acquir. vel omitt. hered.* utpote quæ ejus morte non sunt extincta. *l. 196. ff. de R. J.* Obligatur ergo omnibus Creditoribus hæreditariis ex omnibus causis ex quibus obligatus fuit Defunctus. *l. 8. ff. de acquir. vel omittend. hered. l. 10. C. de jure delib.* Quod quotidiani expediti juris est. Majori autem laborat resolvendi difficultate, quatenus & in quantum Conjux Eßlingensis pro altero Conjuge, non ut hæres, sed ut socius Conjugalis ratione æris alieni tempore conjugii contracto, teneatur; Quam litem nostram ^{An & ut socius bonorum.} facere non intendimus, sed potius abstrahendo à Jure Civili communi, quo Conjugum alter pro altero non tenetur. *l. 4. Cod. ne Uxor pro Marit. l. 1. Cod. ad L. Jul. de vi publ. Besold. part. 3. consil. 92. n. 23. & seqq.* Responsio Amplissimæ Facultatis Juridicæ Tubingensis ad instantiam Ipsius Imperialis Eßlingæ in anno 1697. die Junij dato ex amore Justitiæ lubenter subscribimus, quod scil. & hîc Eßlingæ inter Conjuges sit societas quædam bonorum Conjugalium, tum propter generalem Germaniæ consuetudinem, tum quod finitimæ provinciæ præcipuè Ducatus Württembergicus hujusmodi societatem etiam agnoscat, à quibus Vicinam Civitatem Imperialem Eßlingam nihil dissimile voluisse haud obscure conjecturare licebit. Cum ex vicino-

An & ut socius bonorum.

vicino-